

GEORGIVS AGRICOLA MEDICVS.



Georgius apud Belgas natus, & à pueris omni genere literarum optimè institutus fuit. Inde sese ad uarias prouincias contulit, & passim in Academijs philosophiæ & rebus abstrusis operam nauauit. postea quoque rei Medicæ incubuit, & in ea facultate supremum gradum obtinuit. Hinc factum, ut Georgius in rerum naturalium scrutatione adeò profecerit, ut eo genere doctrinæ suo tempore nulli secundus extiterit, atque Erasmo Roterodamo familiarissimus fuerit. In primis autem ea corpora, quæ intra uiscera terræ producuntur, obseruauit, & magna diligentia posteritati proposuit. Nam opus preclarum De re metallica scripsit, atq; 1530 Basileæ publicauit. par ratione De mensuris & ponderibus libros quinq; cōposuit, & posteritati legendos exhibuit. Itaq; contigit ut Georgius sua eruditione cunctis innotuerit, & præclarum uirtutis nomen obtinuerit. Con. Gess. in Bibl.